

1807.

1. ^{a. b.} Berger, Jo. Mauricus : De logomachis in jure 2 Exempl.
2. ^{a. b.} Beyer, Georgius : De jure ex acceptatione promissi
pro altero facta. 2 Exempl.
3. ^{a. b.} Beyer, Georgius : De incommotis quibusdam
concursum crastinum in foro Saxovico 2 Exempl.
4. ^{a.} Grotius, Arch. Mus. : Prorectorem magni, proceres
amplissimos, nec non gerentissimos . . . hujus
agendum civis ad orationem . . . iustitiam
4. ^{b.} Kirchmair
5. ^{a.} Krause, Joh. Thomsen : De coloco sacro et
Belmann, Joh. Sig.
speciebus vestitus sacerdotalis
6. Neumann, Jo. Georgius : Facultatis theologiae
... decanus . . . Civitate academica plurimum
solubam
h'it et gratiam spiritibus sanctis illucuriam
apprecatū.
7. ^{a.} Schurzfleisch
Schurzfleisch, C. J. : Prudencia juris imper.
in provinciis et Delphicatum, tanquam oras it:
reteres regni Arelatensis iustitiam.

7^a Skunquis, Fr. Ernestus: Veram linguam quarundam
Cruitionem vindicabit. -

8^a Wender, Fr. Baltherus: Ordinis jurisdictio. - -
Securus: Auctori honoris s. d. (ad Respu-
blicam publicam Samuelis Gottliebii Marck
iuncta)

9^a Wender, Fr. Baltherus: ^{anti.} Respublica juridica, qua
selectae conclusiones forenses publice ventu-
luntis proponunt 2 Exempl.

10. Wilekinis, Wilh: De p^rescriptibus in Capitulo
vetoris ecclesiae
1706.

1. Bergerus, Fr. Gottfr.: De Corviniis Boissiac
fructus

2. Berger, Fr. Gottfr.: De vita longa

3. Berger, Jo. Henricus: Ordinis Juridici... Recensio.
Lectio 3. p. I. (ad Dissertationem Christiani Hartijci
innotat)

4^{an. 6} = Berger, Jo. Henricus: De contrarietate 2 Buntl.

5^a Berger, Jo. Henricus: De judiciariis cancellariis

~~5^a Berger, Jo. Henricus~~
5^a 6 Buntl.

6. Grotius, Henr. Henricus: Generosissimi imperatoris
viriis jurium cultoribus s. p. I. (ad exercitia
juridica innotat)

7^{an. 6} = Grotius, Henr. Henr.: De precibus primariis
vicariorum imperii. 2 Buntl.

8^{an. 6} = Grotius, Henr. Henr.: De jure legitimandi
vinctum Palatinorum in terris principum
imperii. 2 Buntl. 1708: Recensio 1746

9. Kernius, Korp Henricus: Ordinis Juridici Recensio:
Lectio benevole s. p. I. (ad orationem Caroli
Seculi Sobotlingii innotat)

1708

10. Hornius, Kasp. Henr.; Ordinis jurisdicti... Decanus;
Cecris benevole o. p. d. (ad Reputacionem Inaugu-
ralen Constantini Tenuitickii inuitel
Hornius, Kasp. Henr.; De antapochka. 2. Exemp.
12. Hornius, Kasp Henr.; De duobuslibus ciuitatum
eorumque puen
13. Kirchner, Georg Wilhelm; Prorector academiae
Wittenburgensis: Cirtus academicis salutem plur-
mum d. ill. atque ad. S. Pentecostes ferias sancto
penitens eodem celebratae.
14. Kirchner, Georg Willeh; Prorector academiae Witten-
burgensis: Cirtus academicis o. p. d. atque festum
Nuntii
archiepiscopi et eius diei celebratae in d. cat
15. Linckius, Ieremias Iohes; De comitibus principibus
16. Luescher, Valent. Ernod; Th. Spunzeri doctrinam et facta
ex itruis monumentis domus examinata sistit atque
H. Arnoldi aduersus hae etiam in parte lapsus expon


1708

17. Loescher, Val. Ernestus: De periodicis et conversionibus
hierarchy ecclesiasticae
18. Wenker, Fr. Balthas: De potestate principis circa
nuptias matreros inveniendi stiliu part
substantiam concidendas.









DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE

**JURE EX ACCE-
PTATIONE PROMISSI**

PRO ALTERO FACTA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS SAXON. HEREDE,
Etc. Etc. Etc.

ex Decreto

Inclutæ Facultatis Juridicæ

PRO LOCO

in Eadem sibi concessio,

more Majorum

publice ventilandam exhibet

GEORGIUS BEYER,

Doct. & Prof. Publ.

Respondente

JOH. CHRISTOPHORO Gradehandi

Delitiano Mifn.

AD DIEM MARTII, ANNO MDCCVII.

IN AUDITORIO MAJORI.

VITEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

3
111.

1907
22

Reperitur in ...



S. O.
DELITIENSIS
Patriæ Civitatis Patribus,
VIRIS
CONSULTISSIMIS
atque
PRÆNOBILISSIMIS
ICTIS,
ut &
PRUDENTISSIMIS, PERITIS-
SISIMIS & DEXTERRIMIS
PRACTICIS,
partim Cognationis,
partim Affinitatis
vinculo
mihi junctis,
Dominis Patronis, Evergetis ac Amicis, ut
par est, studio mihi colendis,
Dissertationem hanc Academicam
in deditissimæ mentis documentum
D. D. D.
Respondens.



Q. D. B. V.

§. I.



Uæritur: Si Celsus Labeoni promittat, se Cassio centum daturum, an Cassius ex eo promisso jus perfectum & ad producendam actionem sufficiens consequatur?

§. II. Præcipuus Juris Naturæ interpres HUGO GROTIUS *Lib. II. de J. B. & P. cap. XI. §. 18.* rem ex dictamine rectæ rationis ita deciden-

dam esse existimat: interesse an mihi facta sit promissio de re, danda alteri, an promissio in ipsius nomen collata sit, cui res, danda est. Priori casu videri naturaliter mihi acceptanti jus dari efficiendi, ut ad alterum jus perveniat, si & is acceptet; ita ut medio tempore à promissore promissio revocari non possit, sed ego, cui facta est promissio, eam possim remittere.

§. III.

Inspectionem, an mea privatim interst, omittendam, putat laudatus Vir Magnus, quippe quam Jus Romanum, introduxerit; neque nihil mea interesse, si per me alter beneficium acquirat.

§. IV.

Porro si promissio in nomen ejus collata, cui danda

A 2

dares

„da res est, distingvendum esse, an qui acceptat aut speci-
„ale mandatum habeat acceptandi; an ita generale, ut talis
„acceptatio ei inclusa censeri debeat: an vero non habeat, Ubi
„mandatum tale antecessit, distingvendum ultra non putat, sine
„persona sui juris, necne, quod leges Romanæ volunt, sed pla-
„ne ex tali acceptatione promissionem perfici.

§. V.

„Deficiente mandato, si alius, cui promissio facta non
„est, acceptat volente promissore; cum fore effectum, ut
„promissori revocare promissionem non liceat, antequam is,
„quem spectat promissio, eam ratam habuerit, aut repudiaverit:
„Sic tamen, ut medio illo tempore is qui acceptavit remittere
„promissum non possit, quia hic non adhibitus est ad jus aliquod
„accipiendum, sed ad adstringendam promissionis fidem in su-
„stentando beneficio; ita, ut promissor ipse, si revocet, faciat
„contra fidem, non contra jus proprium alicujus.

§. VI.

Hucusque GROTIUS, qui dum in posteriori specie, de qua *supra* §. 4. mandato acceptantis protinus perfici promissionem assereret, idem procul dubio præsupposuit in specie priori §. 2. representata, ut mandato instructus acceptatione promissionis sibi factæ statim acquirat mandanti jus perfectum, neque rati habitio expectanda sit. Quam sententiam lubens amplector.

§. VII.

Ultimam GROTII opinionem, quam §. 5. exhibuimus, cum satis refutaverit PUFENDORFF, *de J. N. & G. Lib. III. cap. 9. §. 3. infra.* & HENNIGES, *ad Grot. d.l.p.m. 577. seqq.* atque ipse sibi diffidat GROTIUS, non est, cur in ea expendenda occupemur. At priori, quam §. 2. recitavi, ipsi jam laudati Autores subscribunt. Interim & ista non uno dubio premitur:

§. VIII.

Omnes forte in eo consentiunt, & res ipsa ostendit, officia humanitatis & beneficia ad jus perfectum referri non posse, quæque circumferuntur actiones otii, timiditatis,
non

non præstitorum beneficiorum &c. in quibusdam saltem rebus-
publicis ad singularia facta restrictas, & actionem ingrati à B.
BOECLERO rhetorice magis quam legitime assertam fuisse, de
quibus in *Centur. Thematum ex vario Jure Seleß. Exerc. V. ch. 6.*
7. 8. 9. ex instituto diximus. Neque in dubium vocatur, tribus
modis tantum jus imperfectum naturam juris perfecti induere:
lege positiva civili, necessitate extrema & promisso seu pacto.

§. IX.

Neque in eo differunt tam juris naturæ quam Civilis
interpretes: Pacta requirere minimum duorum consensum.
Etenim quia obligatio vinculum morale est, quo ad aliquid
dandum, præstandum, patiendum, faciendum, omittendum ad-
stringimur, necesse utique est, ut vinculum istud ab eo, cui sit
promissio, mediante acceptatione apprehendatur & quasi con-
stringatur, neque ante quicquam decedat libertati voluntatis no-
stræ, quam declaratio & oblatio nostra acceptata fuerit. Neq;
ad rem facit, quod animus obligandi ex verbis promittentis pa-
reat; negamus enim solum animum utcumq; declaratum id o-
perari, ut ei, qui promissum nondum acceptavit, ius perfe-
ctum & media implementum à promittente extorquendi tri-
buantur.

§. X.

At inquis, acceptatum quoque fuit promissum, nec
opus est, ut acceptetur ab eo, in quem redundat, quin potius
quilibet alterius etiam ignorantis negotia utiliter gerere non
prohibetur. Nondum persuades. Ex promisso jus nasci de-
bet ei, in cuius persona implendum est; ejus itaque acceptatio
requiritur. Tertius tum demum valide acceptat, quando illius
voluntas pro hujus voluntate haberi meretur; ac non meretur,
nisi constet, eum, quem promissum respicit, voluntatem suam
in ejusmodi negotiis arbitrio acceptantis attemperasse; aut nisi
leges publicæ, ut voluntas certarum personarum pro voluntate
aliorum, qui rebus suis præesse non possunt, habeatur, ju-
beant. Caterum sat utiliter geruntur aliorum negotia, si pa-
trimonium ipsorum conservetur: Ut ab aliis augeatur & iis qui-
dem

dem modis, qui indoli pactorum non respondent, ad conservandam generis humani societatem necesse non est.

§. XI.

Neque est, quod arguas, eum qui pro tertio acceptavit, saltem sibi jus poenitentiam promittentis impediendi quaesivisse. Qualem vero Jus ei tribui potest, cui semper opponere licet: *Quid ad te?* Non Juris civilis commentum, sed rectæ rationis dictamen est, neminem nisi cuius interest, libero alterius arbitrio frenum injicere posse. Libertas voluntatis inter bona hujus seculi præprimis eminet, quam temere impedire voluisse leges naturales non præsumuntur. Quas itaque rationes pro defendendo jure Romano affert PUFEND. *d. l. eadem* & pro asserendo juris Naturæ dictamine facere nobis videntur.

§. XII.

Imo, inquit Grotius, interest mea, si per me alter beneficium acquirat. At quomodo tua interest? non nisi ut ille tibi ad gratitudinem obligetur. Ecce spem juris imperfecti. Verborum, ne ejusmodi Actori opponatur; Si vis alterum tibi ad gratitudinem obligari, de tuo esto liberalis; atque ne huc apprimere quadret quod dicitur in *l. 19. ff. ad exhib. non oportere jura calumniari, neq. verba captare sed qua mente quid dispositum sit, animadvertere convenire, nam illa ratione etiam studiosum alicujus doctrina posse* (ad exhibendum agere &) dicere, *SUA INTERESSE, illos aut illos libros sibi exhiberi: quia si essent exhibiti, cum illos legisset, doctior & melior futurus esset.*

§. XIII.

Itaque posthabitis aliorum juris naturæ interpretum commentationibus, rem sæpe implicantibus magis quam evolventibus concludo: Jure naturæ promissionem à tertio acceptatam, neque ei, in quem collatum est implementum, neque ipsi acceptanti jus perfectum tribuere, nisi postquam & ille acceptavit, vel nisi tertius iste mandato aut æquipollente potestate instructus, aut ejus ita intersit, ut suo nomine agere possit.

§. XIV.

§. XIV.

Jam ad Jus Romanum. Ibi generalis regula erat: Si quis alii. quam ei, cujus juri subjectus est, stipuletur, nihil agit, §. 4. *Instit. de inutil. stipulat.* Inventæ enim erant hujusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest. §. 18. *Instit. eod. tit.* Scilicet hæc hauserant consarcinatores Institutionum ex effato Ulpiani l. 38. §. 17. *de Verb. Obligat.* Arque ne putes hanc legis dispositionem tantum ad subtilia stipulationis solennia pertinere, sequentem in modum cavet Paulus l. 11. ff. *de Obligat. & Act.* Quæcunq; GERIMUS, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficiunt. Et ideò neque stipulari, neque EMERE, VENDERE, CONTRAHERE, ut alter suo nomine recte agat, possumus, & Scævola l. 37. §. 4. *de R. J.* Nec PACISCENDO nec legem dicendo, (i. e. pactum contractui in continenti adjiciendo. l. 23. *de R. J.*) nec stipulando quisquam alteri cavere (i. e. emolumentum acquirere vel prospicere. l. 33. *de pact. l. 10. de pact. dotal.*) potest. Hinc excepta possessionis causa per liberam personam, quæ alterius juri non est subjecta, nihil acquiri posse, indubitati juris esse dicitur in l. 1. *C. per quas pers. nob. acquir.* Hinc etiam, si mihi & Titio, in cujus potestate non sum, stipuler decem; non tota decem sed sola quinque mihi debentur. l. 110. *pr. de V. O.* Si tamen fundum mihi & Titio emam: sic persona Titii pro supervacuo accipitur, ut ad me totius fundi emptio pertineat. l. 64. *de contrub. emt.* item si fundum vendendo servitutum mihi & vicino recipiam; quia servitutum nisi sibi recipere nemo potest, adjectio vicini pro supervacuo habenda est, sic, ut tota servitus ad me pertineat l. 5. *Commun. prad. urb. & russ.* Ubi cur pars tertii stipulanti accrescat, inquit BALDUIN. in *Scævola p. m. 163.*

§. XV.

§. XV.

Hæc regula cum varias exceptiones apud Romanos successu temporis passa sit, adeo offendit BALDUINUM, ut ipse „ad §. 4. *Inst. de inutil. stip.* pronunciare non dubitet. Regulam illam tot habere variarum distinctionum anfractus totque retardari exceptionibus, ut melius fuerit, statuere in universum, „ex bono & æquo licere alteri stipulari. Verum compescamus impetum & videamus, quomodo exceptiones in ordinem redigi possint. Frequentissime enim accidit omnibus juris civilis regulis, quæ ex singulari reipubl. istius ratione à moribus gentium & æquitate naturali defleunt, ut negotia emergentia indices plures exceptiones pepererint. Exemplo esto regula in *l. 20. C. de pact.* proposita, nec non servitus usus & permulta alia.

§. XVI.

Nempe exceptiones à regula nostra vel stipulantem respiciunt, vel eum, in quem stipulatio confertur. Quod ad stipulantem: valet stipulatio alteri facta, quoties ipsius stipulantis interest. Etenim id vult ipsa ratio in *d. §. 18. & d. l. 38. §. 17.* Huc referuntur dominus & pater servo vel filiofamilias stipulantes, *l. 30. ff. de V. obl. §. 3. Inst. per quas pers. cuique acquir.* dummodo objectum, quod promittitur, tale sit, quod ad dominum vel patrem pervenire possit, *l. 130. de V. O.* id quod limitatio in *l. 34. ff. eod.* proposita indigitat. Neque officit, quod pater prædio filii ad peculium castrense pertinenti servitutem acquirere possit, *l. 18. §. 3. de castrensi pecul.* namque Scævola ætate nondum erat peculium castrense. Add. BALDUIN. in *Scævola pag. 167.* Reliquorum extraneorum tum demum interesse dicitur, si ei, in quem confertur stipulatio, ad ejusmodi officium jure perfecto obligati sint, & ipsi aliàs conveniri possent, vel in effectu res eorum propria agatur *l. 38. §. 20. usque 23. ff. de V. O. l. 23. & 25. de pact.* Atque his casibus non tertio sed soli stipulanti actio acquiritur, etiam hodie. CARPZ. *P. 2. C. 33. d. 27.*

§. XVII.

Ratione ejus in quem collata est stipulatio, eadem utilis esse

esse potest, si stipulator (1) cum illo pro unâ eademque personâ habeatur, atque adeo non alteri, sed sibi ipsi stipulari fingatur, veluti si sit in ejus potestate, *l. 38. §. 17. l. 45. pr. l. 130. in fin. de V. O.* item si quis heredi suo stipuletur, nam & heres personam defuncti sustinet; *Nov. 48. pr.* dummodo stipulator & sibi simul stipuletur. *l. 38. §. 12. & 14. de Verb. oblig. l. 33. ff. de pact.* verùm post *l. un. C. ut action. ab hered. vel contra hered. incip.* soli etiam heredi recte stipulamur. (2) Si publica auctoritate stipulator commodum alterius observare jussus sit: ita tutor pupillo, curator adolescenti, furioso, prodigo etc. Magistratus ejusque auctoritate servus publicus pupillo vel arrogando stipulantes utilem iisdem actionem acquirunt. *l. 5. §. 9. ff. de pecun. constit. l. 1. §. 11. & 15. ff. de magistrat. conveniend. §. 3. Insti. de adopt. l. 2. l. 3. l. 4. pr. ff. rem pupill. salv.*

§. XIX.

Procurator stipulari alteri non poterat, excepto procuratore militis *l. 26. ff. de reb. cred. & actore civitatis seu Syndico, l. 5. §. 9. ff. de pecun. constit.* nisi hunc officium publicum sustinere & ad §. *præced.* referendum esse mavis. At reliqui Procuratores sibi semper stipulabantur, non domino *l. 1. C. per quas pers. nob. acquir.* neque ei, nisi certis casibus & oblique actionem acquirebant, puta si ex re domini *l. 68. de procurat. l. 27. §. 1. l. 28. ff. eod.* add. BALDUIN. *Jurispr. Mut. pag. 166.* vel domino præsentem stipulenter *l. 79. de V. O.* vel aliter domino res salva esse non possit *l. 13. §. 25. de act. emt. l. 5. de stipulat. prætor. l. 18. §. ult. de damn. infect. & passim.* add. SAND. *de cess. act. Cap. 6. §. 9. - 19.* GUEDELIN. *de Jure noviss. l. 3. c. 11.* Præsertim vero in omnibus prætorii stipulationibus. *l. 3. ff. de stipulat. prætor. l. 1. §. 4. ff. ut legator.* diversa ratio erat acquirendæ possessionis & domini. *l. 53. de A. R. D. l. 13. eod.*

§. XIX.

Ista rigoris Juris Romani temperamenta non simul & semel, sed successu temporis invaluisse, neque promiscue, sed ferè in subsidium obtinuisse docet tractatio de auctoritate tutorum, de qua nos in *post. ad ff. eodem titulo* & pleræque leges supra

B

alla.

allata, præsertim l. 1. §. 15. de magistrat. conveniend. l. 3. C. de donat. que sub modo &c. l. 2. C. per quas person. Cæterum, reliqui extranei actionem alteri multo minus acquirebant excepta specie l. 9. §. 8. ff. de reb. cred. Addunt alii etiam l. pen. ff. de neg. gest. l. 59. §. 1. ad SC. Trebell. l. 45. sol. matrim. l. 7. C. de pact. convent. ubi de pactis super dote restituenda à patre, fratre, avo materno, quin & ipsa uxore intuitu cognatorum suorum initis agitur; neque actio ex stipulatu sed utilis quædam & ex fictione oriunda conceditur. Itaque limitationem, in materia dotali propter affectionem personarum largimur, sed quæ non semper fuit observata. vid. l. 4. C. de pact. convent. Poterat vero extraneus, si sibi prius stipulatus esset, pacisci, ut quod sibi præstitum voluit, alteri præstetur; modo talis sit contractus, ut ille rem à se profectam dederit eà lege, ut ea alteri restitueretur. Exempla vide in l. 3. C. de donat. que sub mod. l. 8. C. ad exhib. l. 7. C. de pact. convent. & alibi. Quemadmodum & pœna cuicumque stipulationi pro altero factæ adjecta ipsi stipulanti, non ei in quem conferebatur stipulatio, actionem suppeditabat, eoque per indirectum adigebat promissorem ut fidem datam liberaret. §. 18. Inst. de inutil. stipulat. l. 38. §. 17. de Verb. Oblig.

§. XX.

Atque hæc quidem sepositis variis commentationibus & conciliationibus, explicandæ Juris Romani sententiæ pro instituti ratione sufficiant. Jus Canonicum alteri ex alterius acceptance obligationem tribuere multis videtur. Verùm, recte inspicienti nulla offertur inter hoc Jus & Leges Romanas circa rem præsentem differentia, & scrupulos omnes jam sustulit RITTERSHUS. de different. Jur. Civ. & Canon. lib. 3. cap. 6. add. BUS. in Comment. ad l. 38. ff. de V. O. FACHIN. Controv. Lib. 3. cap. 19. nec abs re monet CYPR. REGNERUS Disp. ad ff. 56. th. 4. frustra de Jure Canon. disputari, quum jure divino & moribus alterum alteri recte stipulari posse constet. Id vero magis dubium, num promissio absentis facta accedente juramento ita confirmetur de Jure Canon. ut ab

ut absens recte exinde agere possit? affirmant FACHIN.
d. L. 3. cap. 19. TESSAUR. *decis.* 70. SCHNEIDEWIN.
ad §. 4. *Inst. de inutil. stipul.* quia scil. iuramentum fit servan-
dum: quod uti facile largimur, ita plane alia quæstio est, u-
trum etiam tertio jus inde quæretur; eam vero negamus cum
RITTERSHUSIO in *differ. Jur. Civil. & Canon. Lib. 3.*
cap. 6.

§. XXI.

Denique quid moribus obtineat, evolendum: Et hic
quidem tantum non omnes uno ore clamant: tricas stipula-
tionum, & solennia contractuum, quibus & regula *supra* §.
40. annumerari debeat, hodie vel sublatas, vel non receptas
esse. vid. GROENEWEG. *de legib. abrog. ad §. 18. Inst. de in-
util. stipulat.* HOPP. *ad §. 4. Inst. eod. in usu hod.* Ve-
rùm cum & hi in diversas sententias abeant, enunciatis qui-
busdam rem totam comprehendere nostramque sententi-
am ab opinione dissentientium vindicare nobiscum consti-
tuimus.

§. XXII.

I. Promissio à tertio acceptata, siquidem hic
mandato ad rem præsentem sufficiente instructus
fit, statim perficitur, eique in quem implementum
collatum est, facultatem actione judiciali experium-
di tribuit, absque distinctione, utrum verba in
procuratorem, an in dominum concepta sint. U-
trumve actio domino à procuratore cessa fit, nec
ne. Ea de re nemo, quantum mihi constat, ambigit, sed
mores hæcenus à dispositione Juris Romani recessisse omnes
concedunt, & praxis quotidiana id evidenter ostendit. Idem
est, si acceptanti autoritate publ. cura negotiorum ejus, in
quem promissio facta redundat, sit imposta, quo pertinent tu-
tores; item curatores minorennium, furiosorum, absentium;
neque hunc effectum curæ maritali denegarem, præsertim cum
mariti ut plurimum quam maxime interfit.

VXX.

B 2

§. XXIII.

§. XXIII.
II. Promissio à tertio, qui mandato destituitur, acceptata, atque ab eo, in cujus favorem facta est, postea ratihabita promittentem valide stringit, utur tempore ratihabitionis ab eo repetita non sit. E- quidem ex doctrina de stipulationibus aliud dicendum videba- tur, ubi promissio & acceptatio temporis intervallum non ad- mittebant. Verùm ab hac solennitate mores nostros divor- tium fecisse concedunt omnes. Quemadmodum & alia regu- la: *quod ab initio vitiosum est* (atque adeo etiam pactum ab eo in quem redundat, non acceptatum & proinde requi- sito essentiali, consensu, destitutum) *non potest tractu tem- poris* (seu ex postfacto, l. 210. de R. J.) *convalescere.* l. 29. de R. J. Ea inquam regula, si modo ad rem presentem un- quam pertinuit, de quo dubitare licebit per ea, quæ habet JAC. GOTHOF. ad d. l. 29. moribus Germanorum recepta non est, de quo vid. SCHILT. Exercit. ad ff. IIX. §. 27. seqq. ubi ad BRUNNEMANNUM, COTHMANNUM, ANTON. FABRUM, aliosque plures provocat recteque monet, eos, qui distingunt, utrum quis sibi alterius nómine stipuletur an alteri stipuletur; nodum in scirpo quarere. Etiam si CARPZOV. P. 2. Const. 33. def. 26. n. 4. hanc distin- ctionem à Bartolo excogitatam & à Covarruvia propagatam sequi non dubitet, quia scilicet differentiam inter jus Romanum & mores Germaniæ non agnoscebat, coegit tamen & ipsam evidens rei veritas, ut præsi Glossatoris Martini opinionem amplecteretur. P. 2. Const. 29. def. 29. n. 18. Interim recte notatur ab aliis Martinus, quod suam sententiam, ex legibus Romanis derivare satagat, qua de re graviter SCHILTERUS, qui utriusque Juris principia solide indagare laborant, depre- hendent sane, vim juri fideique Germanicæ à DD. juris civilis, nimis superstitionis illatam esse. Et alibi patere Doctorum nostrorum morbum, quo laborant in retinendo & moribus nostris sæpe contrariis applicando jure Romano.

Utrum vero ratihabitio valeat demum ab eo tempore, quo accessit, an vim suam retro exferat ad tempus factæ promissionis, inter Juris Interpretes non constat; neque nullius momenti est quæstio, si promissioni v.g. hypotheca adjecta fuerit, atque interea, donec tertius promissionem in se collatam esse inaudiverit, promittens alii bona sua obligaverit, quæ deinde contracto æri alieno dissolvendo non sufficiunt. &c. SCHILTERUS *d. l. §. 29.* putat ratihabitionem reducere negotium ad id tempus, quo contractum fuit; mihi secus videtur, quia ratihabitio demum producit consensum; ante consensum pactum undiquaque nullum est. Retrotrahi vero ratihabitio non potest, si nihil subsit, in quo quasi radices agat. Eaque nobis ratio sufficit, nec opus videtur in valde remoto & dubio argumento *legis 17. §. 4. de pact.* refugium quærere.

III. Expresse vero ratihabitam esse promissionem oportet, neque sufficit, tertium, cujus commodum intenditur, de facta & ab altero acceptata promissione certiozem factum eam non repudiasse. Quoties in jure nostro tacens pro consentiente habetur, toties interpretatio fit in ejus præjudicium, & vel pœna contumaciæ, vel alia quædam æquitatis ratio ex parte alterius, qui silentium pro consensu interpretatur, subesse solet. Prioris exemplum præbebant interrogaciones in Jure factæ; posterioris speciem videmus in *Lab. ff. mand.* ubi non solum silentium; sed concurrentis æquitatis dictamen, ne alter cum alterius damno immerito docupleretur, consensum infert. At in quæstione præsentis de emolumento in tacentem devolvendo agitur, quod expressam acceptationem requirit, ex solo silentio non inferendam. Neque obstat, quod pacta tacita haud infrequentia sint; namque ea non ex solo silentio, sed ex accedente facto ad ratihabitionem unice tendente colliguntur; siquidem tacentis lucro cedere debeant. Conf. BRUNNEM. *ad Lib. VI. Decretal. tit. de reg. jur.*

*jur. regulam 43, seq. atque adeo non obstant, quæ habet TI-
RAQUELL, de jure consit. p. 3. ff. P. 3. Limit. 30. n. 11. seq.*

§. XXVI.

IV. *Quamdiu facta promissio ab eo, in quem
redundat, acceptata non est, nulla nascitur obliga-
tio perfecta, quin potius promittens absque iniuria
pœnitere & factam oblationem revocare potest.*
Hæc thesis variis dissentientium rationibus oppugnata facilius
asseretur, postquam eam supra Juris naturæ fundamentis con-
formem esse vidimus. Et primo quidem dissentit COVAR-
RUV. *Var. Resol. Lib. I. c. 14. n. 12.* sed nullam rationem refutati-
one dignam affert, quamobrem eum missum facimus. Non
vero perspicio unde SIMON VAN LEEUWEN regulam, quam
in Censur. Forens. P. I. Lib. 4. c. 10. n. 8. seq. proponit, hausit:
hodie neminem præsumi alteri stipulari, nisi & sua intersit. Sa-
ne spes lucelli incerti, intentio beneficii amico, cui perfe-
cte non obligamur, studium amicos parandi, πολυπεγαυμοσύ-
νη inquieta, otiosis præsertim hominibus non infrequens aliæ-
que rationes aliquem ut tercio stipuletur inducere possunt, et-
iam si ejus peculiariter non intersit,

§. XXVII.

Deinde huic sententiæ nostræ contrarius esse videtur Il-
lustr. STRYKIUS *in usu modern. ff. ad tit. de pact. th. 12.* ubi
ad Grotium, cujus objectiones jam supra diluimus, provocat;
nec non *in tractatu de action. forens. investig. Sect. I. membr. 3.*
§. 18. ubi quidem, quo omne dubium tollatur, cautela loco
commendat, ut tertius ejusmodi pactum ratificet; Interim id
valere, tum ex Jure Gentium, omne promissum pro debito
agnoscente, tum ex prisca Germanorum fide colligit. At Jus
Gentium obligatorium Juri Naturæ contradistinctum non agno-
scimus; prisca vero Germanorum fides sæpe in ineptam mini-
meque imitandam pervicaciam abiit. vid. TACIT. *de morib.
German. c. 24.* Provocatur præterea ad MEVIUM, qui *P. 4.*
decif. 112. n. 5. moribus hodiernis regulam de non quærenda

alteri

alteri obligatione non amplius observari, vocato in subsidium, COTHMANNO testatur, Utrum vero alteri ante ejus acceptationem quaratur, non decidit. At aliunde sententiam ejus discimus.

§. XXIX.

Nimirum contendit MEVIUS *P. 2. Decis. 95.* ex negotio alterius gesto actionem esse non modo contra gestorem, sed etiam contra alium, cum quo pactum vel contractus cum gestore intercessit, modo id fiat illius contemplatione, nec non illeratum habuerit. Ubi idem Autor *n. 4. 5. & 6.* sequentia annotat: Per negotia gesta alteri acquiri actionem *arg. l. solvendo. 39. ff. de neg. gest.* Inanem quippe fore gestionem, nisi & alium alii obligare & actionem querere jus esset; ideo ab illa regula, quod alteri stipulari non licet, excipi à DD. negotiorum gestores. Esse negotium alicujus quod ejus contemplatione geritur. *l. 6. § 6. ff. eod.* Ratihabitione vero constitutum negotium, quod ab initio tuum non erat, sed tua contemplatione gestum, *d. l. 6. §. 9.* Cogita quæso B. L. quo rapiat homines superficialia legum civilium inspectio! *L. 39. de N. G.* agit de eo qui pro alio solvit: exinde actionem alteri per negotia gesta acquiri contra omnia Jurisprudentiæ Romanæ Principia colligitur. Et DD. si qui sunt, qui negotiorum gestores à regula excipiunt, totam regulam evertunt: Quis enim neget, quemcunque, qui mihi acquirere vult, negotia mea gerere. Reliqua plane huc non pertinent. Verum hæc mira videri non debent, postquam plerisque DD. nostris morbo quasi epidemico correptis, omnia Juris patrii instituta, Romana, haud secus ac Ictero laborantibus omnia lutea videntur. Interim ex allatis constat, Mevium ratihabitionem quoque requirere.

§. XXIX.

In partes quoque contrarias vocatur ANTON. FABER *in Cod. Desinit. Sabaud. Lib. IV. Tit. 34. def. 1.* ita differens: moribus nostris (sua nimirum provinciæ) receptum esse, ut quisquis sibi emere potest, possit etiam alii, adeoque incertæ personæ,

„sonæ, amico scil. ut vocant, aut electo, aut eligendo. Cujus
 „inducendi juris ratio ex iis primum venditionibus originem
 „habuisse videtur, quæ publica sub hasta fiunt; propterea,
 „quod non facile honesti plerique viri ad emtionem acceden-
 „tes nomina sua publicis ejusmodi actis inseri patiantur, veriti,
 „ne ambitiosum id, aut nimis invidiosum existimetur, malintq;
 „per alios rem agere, ex quorum persona non minus juris ha-
 „bituri sint, quam si illi ipsi comparassent. Postea vero ad pri-
 „vatas quoque venditiones id jus tractum est, usque apud
 „nos (Sabaudos) frequentissimo comprobatum. En obligati-
 „onem tertio & quidem incerto, qui eam per rerum naturam,
 „acceptare non potuit, qualitat. Sed salva res est: Emtor,
 „pro quocunque demum emerit, suam interponere fidem faten-
 „te Fabro, cogitur, atque ad implendum pretii solvendi pro-
 „missum obligatur. Venditor itaque, cui perinde est, in quem
 „res transferatur, emtori vendidisse, at hic jus acquisitum in ter-
 „tium deinde derivare censetur, quam ob rem etiam indemnita-
 „tem eligenti repromittere electus solet. Atque adeo hæc spe-
 „cies non multum differt à casu legis 64. de conturb. emt.

§. XXX.

Potissima reliquorum (neque enim omnes afferre neces-
 „sarium est) objectio in eo vertitur, quod moribus hodiernis, præ-
 „sertim inter Mercatores ita concipiuntur syngraphæ, ut solva-
 „tur creditori, eive qui syngrapham feret, quo casu lator syn-
 „graphæ non modo tanquam adjuncto recte solvitur, verum &
 „eidem actio competit. Neque poenitere potest debitor ante-
 „quam lator syngrapharum promissum acceptet. Qua in re
 „COTHMANNUS *Lib. 2. Resp. 54. n. 87. seq.* id assert: Procul
 „dubio consuetudine recipi posse, ut alteri stipulemur idque à
 „DION. GOTHOFRO *ad §. 4. Inst. de inutil. stipul.* observatum
 „esse. Eumque sequuntur VOET. *Comm. ad §. 4. Inst. de inutil.*
 „*stipulat.* SIM. VAN LEEUWEN *Cons. Forens. P. 1. L. 4. c. 16.*
 „*n. 8. 9.* At multo rectius GUEDELINUS *de Jure noviss. Lib. 3.*
 „*c. 1. p. m. 91. in fin.* regulam quod alteri pacifici non liceat, hic
 „non

non mutata, sed eum, qui talem Syngrapham profert, velut procuratorem in rem suam haberi autumat, & praesumi moribus mandata cessante ei à creditore actionem. Scilicet, jus quaesitum in alium derivare leges Romanae non prohibent; ne vero debitor super modo & validitate scrupulos injiciat, praestat eum adstringere ut exhibenti syngrapham statim solvat. Hinc formula in tessera collybiticis conserta: *Zahle ich an N. N. oder Ordre. sive: oder Commiss. Add. SAND. de cess. action. cap. 2. n. 17.* Tandem praetereunda non sunt Philosophemata-ESBACHII, qui postquam ad *Carpz. p. 2. Const. 29. def. 20.* notasset, hodie alteri per alterum indistincte jus quaeri; postea ad *Carpzov. P. 2. Const. 33. def. 26. & 27.* haec superaddit: alteri per alterum actiones quaeri, nec bono Reipubl. nec naturae nec charitati Christianae adversum, sed adprime consonum esse *1. Cor. XIII. 5. ibi: Die Liebe suche nicht das ihre. l. 7. in fin. ibi: beneficio affici hominem interest hominis ff. de Serv. export. l. 3. ff. de Just. & Jur.* Intempestivum ratiocinium! non quaerimus an peccet, qui jus alteri quaerere vult, sed an actus ante ratihabitionem sit efficax. An vero nullo modo beneficio quis affici potest, nisi ipsi ignorantia actiones quarantur? Injustam profecto esse oportet juris dispositionem ne quilibet promiscue absque mandato causam alterius in judicio agat; quia scripsit Apostolus: *Ein ieder sehe nicht auff das seine/ sondern auff das des andern ist. Phil. II. 4.*

§. XXXI.

Neque absenti ante ratihabitionem jus perfectum quaeritur, licet promissio à publico Notario acceptata sit, etenim iste error, uti in donationibus mortis causa factis ob accedentes clausulas salutares innoxius; ita in conventionibus & promissis non tolerandus est, Notarium ex generali & ubique gentium recepta consuetudine pro absentibus stipulandi jus habere asserit FABER in *Cod. Lib. IV. tit. 34. def. 4. n. 4. & def. 9. n. 4.* quod moribus plurimorum locorum ad Secretarios oppidorum extendi monet BUS. *Comm. ad l. 38. de V. O.*

C

de V. O.

de *V. O.* idemque jus à plerisque ex eo deduci, quod de ser-
vo publico alii stipulante scriptum est *l. 18. ff. de adopt. l. 2. ff.*
rem pupill. salv. for. Alii ex *cap. 2. de Usur. in VIto.* hujus con-
suetudinis originem repetere malunt. At ipsum *cap. 2. ad Ju-*
ris civilis modulum compositum est; neque servo publico pro-
miscuam, sed expresso judicis jussui subordinatam stipulandi li-
centiam tribuit, atque sigillatim in casu animæ ab æterna per-
nicie liberandæ. Constat itaque consuetudinem istam erro-
neam esse, id quod operose & eleganter evicit TIRAQUELL.
de jure constit. possess. P. 3. Limit. 30. n. 29. -- 45. & succincte,
BRONCHORST évaynoφ. Cent. 4. assert. 46. Interim ea con-
suetudo communi opinione recepta est, quam in rem aliquot
plausura autorum coegit TIRAQUELL *d. l. n. 16. -- 28. impri-*
mis n. 23. conf. VOET. Comm. ad S. 4. Inst. de inutil. stipul.
Nempe accidit huic themati quod plerisque aliis, ut Doctores,
qui non nisi Jus Romanum didicerant, & nihilominus con-
trariam consuetudinem servari videbant, aliquale refugium in
qualicumque Juris Romani analogia quarent; & consuetudi-
nes, quas omnino tollere ipsis integrum non erat, utrunque
ad Juris istius placita adtemperarent. At cum hodie superstitio
ista Juridica facessat, Notario idem quod cuicumque alij priva-
to asserere per nos facile licebit. Quo etiam inclinat TIRA-
QUELL. *d. l. n. 67.*

§. XXXII.

Nempe & ii, qui hoc Jus Notariorum imprimis tuerentur,
ipsi non negant, absenti ex Notarii stipulatione nihil juris an-
te dari, quam ille eam rati habeat; quam sententiam late de-
fendit TIRAQUELL. *de jure const. poss. P. 3. Limit. 30. n. 49.*
-- 79. ubi etiam de quæstione utrum heredes absentis dona-
tarii ante ratihabitionem defuncti ratihaberi possint. Post Ti-
raquellum TESSAURUS *Decis. Pedemont. LXX.* hanc quæstio-
nem late & (quod ipse profitetur) magistraliter discutiens, ac
pro utraque sententia integras Doctorum cohortes excitans pro-
missionem absenti factam & à Notario acceptatam ante illius
ratiha-

ratihabitionem pro lubitu revocari & mutari posse decidit, idque prolixè probat & à dissentientium objectionibus vindicat; qua in re socium laboris habet FACHIN. *Lib. IIX. Controv. cap. 91.* atque horum vestigia legunt ad eosque fere provocant reliqui. vid. FABER in *Cod. Sabaud. Lib. 4. Tit. 34. def. 2. n. 4.* VINN. *Comm. ad §. 4. Inst. de inutil. stipul. n. 3.* Verum plerique pias causas excipiunt, utque iis jus perfectum ante acceptationis ratihabitionem competat, volunt. Quibus non reluctor, ne impius videar. Nempe constat prætentam causæ pietatem sæpe iusta efficere quæ tantum non omnibus juris regulis refragantur.

§. XXXIII.

Denique si ejus, qui promissionem in alium collatam acceptat, peculiariter interfit, vel idem pœnam stipulatus sit, statim perfici negotium & pœnitentiam exulare nemo dubitat. Atque hæc pro instituti ratione sufficiant. Neque enim de pactis liberatoris neque de obligatione tertio injungenda, sed de jure eidem acquirendo agendi animus fuit.



Wittenberg, Diss., 1707

Wittenberg, Diss., 1707

ULB Halle

003 588 122


3



f
g.

v D 78







DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE
**JURE EX ACCE-
PTATIONE PROMISSI
PRO ALTERO FACTA,**
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS SAXON. HEREDE,
Etc. Etc. Etc.

ex Decreto
Inclutæ Facultatis Juridicæ
PRO LOCO
in Eadem sibi concessio,
more Majorum
publice ventilandam exhibet

GEORGIUS BEYER,
Doct. & Prof. Publ.

Respondente
JOH. CHRISTOPHORO Gradehandi
Delitiano Misn.

AD DIEM *MARTII*, ANNO MDCCVII.
IN AUDITORIO MAJORI.

VITEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.